

Flandriæ Comitatus.

314

*Regio.
Unde dicta.*

Situs.

*Aëris temperies.
Soli fertilitas.
Animalium va-
rietas.*

Urbium nomina.

Flandria nomen quamvis non magnæ antiquitatis nulla tamen ejus certa ratio reddi potest. Sunt, qui ab urbe ejus nominis appellationem deducant, sita ubi nunc Ardenburgum; sunt qui a Flandberto Filio Blefindæ, quæ Soror fuit Clodionis, Regis Galliæ: Vixit autem Flandbertus Anno Christi cccc. xlv. Sunt qui a Lyderici primi Comitis sponsa *Flandrina* nomen regioni datum arbitrantur. Sunt qui a flatu & fluctibus, quorum magna ob vicini Oceani imperum vis huic terræ incumbit. Adeo ut etiam anno mccc. cxi. in agrorum censu venditioneque caveretur, ut si intra annos x. Mare in ea loca exæstualet, cal- sus irritusque esset contractus. Ego rem in medio relinquo. Ejus hodierni limites sunt, ad Austrum Artesia cum Hannonia, & parte Picardiæ. Ad Ortum Hannonia & Brabantia, ad Septentrionem Oceanus, cum Honta sive Ostio Scaldis, quod Flandriam a Zelandia determinat: ad Occasum Oceanus Britannicus sive mare Germanicum. Longitudo patet itinere tridui, a Scaldi scilicet contra Antverpiam, usque ad Novum Fossatum mill. pass. xxx. Latitudo est mill. pass. xx. Aër Regionis totius est temperatissimus: Ager fertilis, potissimum qua Oceano & Galliæ est vicinus. Pascua læta, cujus rei argumentum est, quod pulli equini ex vicinis regionibus in Flandriam quotannis delati ab Equisonibus, soleant pabuli bonitate, Aëris suavitate, ex strigosis & macilentis reddi generosiores. Alit item varia Animalia domestica, saporis delicati & exquisiti: nec non Ferarum copiam pene incredibilem. Nec desunt Aves cum aliæ: tum Phasiani, Perdices, Pavones, Ardeæ, Ciconiæ. Regionis Incolæ ita olim bello addicti fuere, ut quieti pacative vix unquam viverent: ac Syriam etiam, Terramque Sanctam, ac Hierosolymam, eorum arma pervaderent. Urbes in Flandria muro ac fossa cinctæ sunt xxx. *Gandavum, Bruga, Ypra, Insula, Duacum, Tornacum, Cortracum, Aldenar- da, Alostum, Hulsta, Teneramunda, Birsletum, Neoportum, Slusa, Dunkercke, Gravelinga, Burburgum, Dammum, Dixmuda, Furna, Ardenburgum, Ninova, Berge, Gerardumontium, Castellum, Donza, Or- chianum, Lanoyum, Axella & Oostenda.* Præter has sunt etiam Municipia potentia quæ urbibus neque no- bilitate, neque privilegiorum dignitate, neque structuræ magnificentia, neque frequentia municipum ce- dunt: *Bella, Poperinga, Hondscota, Ecloa, Gistella, Middelburgum,* & alia viginti. Pagiin univrsum m. cliv: ut non immerito triviali proverbio dicatur, Flandriam omnes totius Christiani Orbis Comitatus su- perare, & Hispani quum in hanc Provinciam cum Philippo Rege venirent, judicaverint totam Flandriam continuam urbem esse. Hodie univrsa intres partes dividitur, Teutonicam, Gallicam & Imperialem. Pri- maria urbs est *Gandavum*, conditum vulgi opinione, tum Historicorum omnium recentiorum consensu (nam veteres de eo silent) tum Petrarchæ aliorumque judicio, a C. Julio Casare, quum in Morinis ageret. Enim- vero Gordunorum meminit C. Casar lib. v. Com. de Bello Gallico. Postea a Wandalis dicta est *Wanda*, & litteræ primæ mutatione *Ganda*: ut Walli, Galli: hinc *Gandavum*: vernacule dicitur *Gendt*, Italis *Guanto*, Gallis *Gand*. Situm est quarto a mari lapide, quatuor fluminibus amœnissime irrigatur. *Scaldim* enim ex Hannonia, *Lisam* ex Artesia, *Liviã* ex portu Slusano, *Moerã* ex quatuor Officiis quas *Ambactas* vocant, accipit. Præterea